Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Thes. I.

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

עמי:

QVam infeliciter qvidam hodie allaborent vocibus biblicis novos sensus imponere præter Scripturæ suffragia, volupe est ostendere, instituta disqvisitione de vero sensu vocis SCHUAL. Eum enim qvidam pervertere hodie summa ope annituntur. Qvæstio autem est de Jud. XV. 4. *Et cepit Simson trecentas Schualim acceptisqve facibus caudam caudæ obvertit, facem interposuit, & ita agris immisit eas.* Qvidam ex observatoribus Hallensibus per *Schual* intelligit *manipulum straminis* hoc sensu: *Cepit Simson trecentos manipulos straminis positaqve inter extremitates cujusqve sibi obversas face, conjecit eos in agros Philistæorum. Tom. VIII. obs. 14.* Alius itidem ἀνώνυμος Autor per *Schual* vult designari *manipulorum struem* Considerabimus utriusqve rationes paucissimis. Deus autem regat cœpta nostra suo S. Spritu

# CAP. I.

## Ostendit vocem שועל *vulpem* notare, non *manipulum straminis.*

### THES. I.

*Qva sit significatio vocis* שועל *in Jud. XV. 3. ex usu ejus per scripturam vulgato certissime perspicitur. Cum enim multarum vocum in scriptu-*

*ra occurrentium radices sint deperditæ, nullum est certius significationis indicium, qvam qvod ex usu sumitur.*

## ANTITH.

Ignorata radice vocis שועל, de vera significatione ejus vix qvicqvam certi affirmare possumus.

### Prob. I.

*Nam præter commune effatum Philologorum ratio ipsa dictat, primitiva suis non materiale tantum; sed ipsum qvoqve formale seu significationem impertire. §. 3.*

Resp. Inde minime deduci potest nos non posse certos esse de significatu vocis שועל. Qvod si semel tantum occurreret vox hæc in scripturis, fateor, dubiam ex hac ratione fieri posse ejus significationem. At enim vero, præter hunc locum sexies alibi reperitur, & semper sensu ἀλώπηκος ut verterunt LXX. Interpretes antiqvissimi. Qvod si derivatum non materiale tantum, sed & formale trahit a radice sua, ex sensu vocis שועל, qvi adhuc in sacris usitatus, conjectura capienda est de sensu radicis. Qvanqvam enim ea hodie deperdita est, tamen eam, cum adhuc apud Hebræos esset usitata, talem tenuisse notionem persvasus sum, qvæ ad describendam naturam & proprietatem vulpis satis fuerit apta. Dn. Bochartus a tussiendo nomen gerere asserit, qvod tussi valde obnoxium animal est, ex radice Arabica שעל *tussivit*. Multæ sunt voces in sacris, qvarum radices dudum sunt deperditæ. Qvod si ignorata radice vocis non possumus certi esse de ejus sensu, qvot non vocum significatus in dubium vocabitur? Voces בג *cibus*, בד *linum*, בוץ *byssus*, בית *domus*, בשר *caro* radices suas non habent superstites; at qvis de ipsarum significatu in Scripturis recepto hactenus unqvam dubitavit? Certe non tam radix, qvam usus vocis sensum indicat.

2. Neqve